

*Epistola Clariss. Viri Dni. Gulielmi Cole Med.  
Doct. ad Honoratissimum Dum. Dum. Rob. Boyl  
Armigerum, de Falsa Graviditate.*

**I**gnoscat mihi Humanitas vestra, *Honoratissime Vir,*  
quod ignotus graviora, quibus in rem literariam  
(prælertim Medicam,) invigilas, negotia interpellare au-  
sum. Eximus ille candor, quo cunctos, eos maxime  
quibus naturæ studium cordi est, prosequeris, hanc mihi fi-  
duciam, ut ad te literas consignarem fuggerit, nec de ve-  
nia obtinenda dubitare sinit, quandoquidem è Naturæ  
(cui Te ab intimis secretis nulli non suspiciunt & gratulan-  
tur,) penu, quod afferunt, depromptum invenies, Historiam  
sc. satis, opinor, raram; quam (nisi ejusdem fama ad aures  
vestras jamdudum pervenerit,) paucis hisce accipere dig-  
neris. Rei plurimos mihi testes tota habet vicinia.

Matrona quædam, niente omnino constans, pia, fide  
dignissima, & circa prægnantes & puerperas olim ver-  
satissima, septuagesimum nonum annum nunc agens, se  
fætum utero gestare jam diu creditit, creditque adhuc,  
imo quod magis mirabere (forfan & rifu excipies,) per to-  
tos septem elapsos annos gestasse. Dum illac negotio-  
rum causa quadriennio abhinc iter facerem, & à quibus-  
dam, ipsa non minus credulis, rei famam acceperam,  
novitate permotus ad hoc miraculum nulla mora con-  
tendi, ut tam insolita scena oculos pascerem. Inveni  
ventre multum tumentem, non autem, qualis esse solet  
hydropicorum tumor apparuit, sed sursum, more gravi-  
darum, eminebat. Et dum plura sciscitarer, nec illam  
(ut nec ejus maritum, qui decennio minor uxore fuit,) de  
ingravidatione amplius dubitantem compérissim, petii  
ut tantæ fiduciæ causam exponeret.

Illa haud gravate respondit, se olim decem liberos e-  
nixam



nixam, nec ab eo tempore per 28 annorum spatium mensum fluxum passam, in eum tandem satis copiosum incidisse, ex quo brevi post omnia conceptus signa apparuerunt; inde nauseam, & vomitiones subinde recurrentes, necnon & inordinatam quorundam praeceteris ciborum appetentiam, ut prægnantium mœs est, invasisse, & per plures menses persistisse, ventre paulatim intumescente; postea solito tempore primos fætus motus se percepisse, & exinde, tumore indies aucto, motus etiam tanquam ejusdem locum saepè variantis, nunc ab una nunc ab altera ventris parte, qui & tractu temporis invalescebant, sensisse; tandem (appellente usitato partus tempore,) ipsos parturientis labores subiisse, ut obstetricem accersere necesse habuerit. Sed non adfuit *Lucina*: attamen licet dolores illi evanuerint, haud detumuit venter; quin saepius præ dolorum recursu obstetrica (quæ & ipsa, prout à nonnullis accepi, in eandem cum domina sua sententiam propenderat,) rursus accita est. Ab eo tempore motum illum, sed vegetiorem se persensisse afferuit, adeo ut vestes frequenter attolli ab adstantibus conspectæ fuerint, tumore, licet aliquantulum, haud tamen impense aucto. Mammæ, quas & vidi & attrectavi, minime, prout vetulis solenne est, flaccidæ, sed amplæ & distentæ (at non supra modum,) glandulisque, more prægnantium, distinctæ. Mihi quinetiam sponte affirmavit, obstetricem sibi afferuisse orificium uteri internum æque tenerum & molle fuisse, ac in quavis fæmina mox paritura. Cum porro percontarer utrum inter decumbendum, cum à latere ad latus se reclinaret, pondus ab uno in alterum devolvi perciperet prorsus negavit, meque de mola nil suspicari iussit, cum illam peritus diagnosceret, quam ut hac in parte decipi posset.

Cis paucos dies illam revisi, eademque, ut retuli, de nuno narrantem audivi, mammaisque in eodem statu comperi, ventrem vero aliquanto magis intumuuisse, de cuius tensione plurimum conquesata est. Motus autem magis

gis, quam ante hac, vegetos se tum percipere dixit; atque ego, manu supra vestes admota, bis, dum pauculam illic moram facerem, ejusmodi motum nunc ex una nunc altera ventris parte sensi, qualem in vere prægnantibus observasse memini. Toto hoc gestationis (si ad ipsius mentem loqui liceat,) tempore nullum, saltem alicujus momenti, sanitatis dispendium passam se profitetur, nullis symptomatis laborasse, nisi quæ gravidis sunt familiaria, & quæ etiam, dum puerpera fuit, perpeti solebat. Cibos satis recte appetit, optimeque digerit: minime sitiens est, prout hydropticis usui est, urinamque ad liquidorum assumptorum mensuram proportionatam reddit, ad morem autem gravidarum solito frequentius. Ædes hortumque satis valenter obambulat, nec baculi fulcimento indiget. Moderate dormit, sed petulca ventris sarcina matrī suæ vix ultra diluculum quietem indulget, verum calcitratu cogitè lecto surgere; quo facto, & cibis assumptis, illa se iterum, somno parat, saltem mitius sœvit. Quoad habitum corporis carnosa est, vultusque nil morbidi (me judice,) intus latentis præ se fert. Nullum tibiarum pedumve toto decursu unquam passa est tumorem, nec vulgatum ullum hydropis cuiuscunque, sive universalis, sive ipsius uteri, indicium, præter solum, quem dixi, abdominis tumorem colligere potui. Nec tamen fætum utero includi quisquam, nisi qui famæ suæ prodigus est, asseruerit; cum & ætas, & temporis à prima affectus invasione decursi longitudo (quorum neutrū cuiquam accidisse, præterquam quod Saræ pro miraculo obtigisse *Sacra Pagina* testatur, ulla, quod sciam, historia fide digna propalavit,) in tam absconam sententiam insurgant. Quicquid id est, *Illusterrime Heros*, haud fortassis abs re fore judicabit eximius ille vester arcani quantulicunque investigandi ardor, ut examen subeant tam inusitata phænomena, quod à limato judicio, quale tuum vere est, imprimis sperandum esset. Iter *Londinum* (marito nuper vita functo,) propediem meditatur, quod

superest vitæ apud filiam conjectura; ubi (cum appulerit,) ab ipius ore, si locata opera dignum censueris, certior fias; nec enim in tam frequenti, novitatis avida, urbe diu latere potest. Interim boni consulas, obtestor, quod in observantiæ tesseram offert,

*Honoratissime Domine;*

Jan.

*Favoris vestri Cupientissimus,*

28, 16<sup>71</sup>:

*GULIELMVS COLE.*

*Speraveram fore, ut si me superstite è vivis excederet Spectabilis Domina, notitiam aliquam ex disfectione, vel propria inspectione, vel aliorum communicatione, adipiscerer, unde tam insolita, maxime in proiecta adeo atate, profluenter accidentia. Verum didici tandem D<sup>m</sup>, postquam per duos vel tres annos Londini satis sanam (cum eodem tam tumore & motibus, licet non usque adeo vegetis ac cum ipse inviseram, literasque istas exaraveram,) duxisset vitam, fatigatus; cumque instarent Celeb. aliquot Medici ut cadaveris diffusandi copia illis fieret, viri cuiusdam nimis pii suauis id iis haud concessum esse.*

*G. C.*